

BRITISH MUSEUM

TRACTATVS DE *perſecutione toleranda.*

PROPHETÆ obliuionis Dei, & futurę captiuitatis populi Iuda diuinæ legis craſſa ignorantia ſtupidi, diuitiis, & pingui ventri (qui, vt ait Hieronymus, *non facit ſpiritum tenuem*) cauſam adiudicantes, diuitibus deliciis affluentibus paſſim maledictionem portendunt. Ex his vnus vociferatur. *Væ qui dormiunt in lectis eburneis, & deliciis fluunt, qui comedunt hœdos, & vitulos, & vinum liquatum ſorbent.* Prout, ait Oſeas, *vt aucti ſunt in me pecca-*

ad Nepot. de vit. cle.

Am. 6 4. & ſeq.

Oſ. 14. 7 11. & 6.

uerunt. Scortatio, & vinum intercipit mentem. Ideò exscindetur populus meus, quia expers est scientiæ. Vnde Tertullianus, *ratas*, inquit, *habet Christus diuitiũ causas, superbiam dico, & gloriam, & sæculi studia, & Dei incuriam, per quæ væ merentur à creatore.* Ita Moyses populum Israël è domo seruitutis eductum, primum Idolum auro conflasse, & ventri, hoc est gulæ, & eius comitibus κούρῳ καὶ χόρῳ, libidini & luxuriæ, derelicto Domino seruiisse obseruat. Ita ipse Dominus idololatriã, & obliuionem sui exprobrans Israëli, affluentiæ, & plenitudini, quàm antea sollicitiùs dedocuerat, & exactiori cura præcauẽdam præscripserat, rationem adscribit. Ita in filias Sionis inuehitur, per Esaiam, cultu, & diuitiarum abũ-

Adu. Marc. 4, 15.

Exod. 32. 4. & 6.

Deut. 32. 15.

Ibid. 8. 11. & se.

Es. 3. 16.

Id. 5. 8. & seq.

dantia inflatas, comminabundus & alibi nobilibus, ſuperbis, & omni luxu, & fluxu opum inundatis. Ita Ioannes *Magnam meretricem poculum aureum plenum abominationibus, & immunditia ſcortationis ſuæ terræ regibus* propinaſſe, illóſque πορνείας *ſuarum vino inebriaſſe*, & diuitiarum, & deliciarum στρηνείας *omnes gentes ſeduxiſſe*, prophetia ſua, quę iam à ſua luce hiſtoria cẽſenda eſt, denunciat. Denique Satyricus vates de Roma ethnica non minùs verè, quàm pulchrè dicit, aut potiùs de Chriſtiana iampridem in omnem luxuriam, & idololatriam debacchata prædicit.

Apoca. 17. 1. 2. 4

Ibid. 18. 23.

Nullum crimen abeſt facinúſque cupidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.---Item
Nunc longæ patimur pacis mala, ſæ-

Iuuen. Sat. 6.

uior armis
Luxuria incubuit.——— & rursus,
Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerũt sæcula luxu
Diuitiæ molles, quid enim Venus ebria curat?

Luc. 12. 42. Quamobrem *Dominus fidelis œconomus, & prudens familiæ suæ dispensator seruis demensum in tempore distribuens*, diuitiis malorum omniũ irritamẽtis suos sæpissimè spoliat, & deliciis, quarum mollitia, & fluxu virtus fidei effœminari solet, viduat, imò innumeris tribulationibus, & persecutionibus exercet, ne aquę viuæ fontis inexhausti, *corde pinguefacto*, Es. 6. 10. & fistulis adipibus obstructis, ceu episstomio impediantur: néue si velut equi ad præsepe ventri totoperè indulgeant,

oculis, atque auribus crassa sagina obtusis, nec in Domini opus contemplantes, nec ipsius voci auscultantes, sed supra modum lasciuiẽtes, stimulis Domini recalcitrantes, & sessore excusso à recto scãmate declinantes ad obliquum idololatriæ tramitem laxis habenis exorbitent. *Cùm comedentes*, inquit Dauid, de Israël generatione rebelli loquens, *saturati essent valdè, & quod concupiuerant, attulisset illis. Nondum alienati erant à concupiscentia sua, adhuc cibus in ore eorum erat: cùm ira Dei ardens interficeret è pinguissimis eorum, & iuuenes Israëlis prosterneret. Cùm occidebat eos, requirebãt eum, & conuersi manè quærebant Deum fortem, recordantes Deũ fuisse rupem suam, & Deum fortem excelsum vindicem suum.* Ideò pla- Psal. 78. 29. 30. 31 & 34.

gis multis eruditam Dei Ecclesiá à Prophetis, & Apostolis, & ipso Christo erudimur, quia *quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit*, & variis bellis, & afflictionibus suos tentat: (hoc est, vt ait Tertullianus, *tentari patitur ab eo vtique qui tentat, absit enim vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusq; aut deijcere sit consentiens. Diaboli est & infirmitas, & malitia.*) Sed quæ sunt illæ tentationes? quæ illa flagella, quibus Dominus familiam suam à Satana verberari, effrænem loris constringi, nimia pinguedine hebetatam macerari, & otio rubiginatam exerceri permittit, nisi hæresis, & persecutio? His duobus eculeis Antichristus Satanæ carnifex eam torquet, his eam venenis inficit,

Heb. 12. 6.

de orat. 8.

inficit, his eam flammis vrit, his gladiis cruenter trucidat. Hi sunt illi *duo gladij*, quos homo peccati sibi arroganter vindicat, spiritualis videlicet, & temporalis, clauis, & ensis. Illa φάρμακα μεμιλμένα, suis ταμείοις & ciboriis operta recludit, & ex his ceu Pandoræ pyxide quæuis mala in vniuersam terram effundit. Hoc demum passim cædibus operans Apollyon miserabilẽ fidelium lanienam exercet, vt quibus animum verbis, & fascinationibus suis suffurari nescit, animam factis rapiat, quos veneno non potest occidere, gladio bacchatim dilaniet, quos peste nõ valet enecare, bello crudelissimè trucidet. Ita vt, quod de Græcorum exercitu monosticho cecinit Homerus, in Ecclesiam Dei aptissimè

Bonifacius 8. extr. vnã sanctam.

Mat. 24. 26.

competere videatur.

Iliad. α, Εἰ δὲ δμοῦ πόλεμός τε δαμῇ, καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.

Ψευδολογίας enim, ſigna mendacij, aliaſque id genus peſtes, bella, & perſecutiones, Pſeudoprophetas, Pſeudapoſtolos, Pſeudochriſtos, Antichriſtos, dæmonia, & perſecutores ijſdem elogijs titulatos, & re, & verbis coniunctos, ex prioribus & poſterioribus patris noſtri teſtamenti tabulis, & ipſa experiẽtia intelligimus. Vnde Tertullianus, & hæreſes, & perſecutiones ſimul Antichriſti temporibus grauiſſimas futuras, & Eccleſiam efflictim laceſſituras præiudicat. De illis exertè prælocutus eſt Apoſtolus tanquam de malo propter probationem fidei neceſſario. *Oportet*, inquit, *hæreſes eſſe, vt probati quique manifeſtentur.* De his E-

de præſcript. adu. hæret. 4.

1. Cor. 11. 19.

ſaiam vaticinatum Tertullianus autumat. *Videte quomodo perit iuſtus, neque quiſquam excipit corde, viri iuſti auferuntur, nec quiſquam animaduertit. Præmittens*, inquit, *& ſubiungens proinde paſſum etiam Chriſtũ, æquè iuſtos eius eadem paſſuros, tam Apoſtolos, quàm & deinceps omnes fideles prophetauit. Nec enim*, ait Hieronymus, *quærit Diabolus homines infideles, non eos qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſſyrius in olla ſuccendit, de Eccleſia Chriſti rapere feſtinat. Eſcæ eius ſecundùm Abacuc electæ ſunt. Job ſubuertere cupit, & deuorato Juda, ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſtatem. Non venit Saluator pacem mittere ſuper terram ſed gladium.* Ideò Apoſtolus non ſemel omnes pios perſecutiones, & preſſuras ſemper paſſuros de cælo tactus

Tertul. aduer. Marc. l. 3. c. 22.

Hier. ep ad Euſt.

2. Tim. 3. 12. Act. 14. 22.

Mat. 5. 9. prædixit. Et Christus, omnes qui iustitiæ causa persecutionem patiuntur, beatos, & regni cœlorum hæredes scriptos diuina sententia Ibid. 13. pronunciat. Quamobrem *Gaudete*, inquit, *& exultate, quia merces vestra multa est in cœlis.* Ad quod Rom. 5. 3. alludens Paulus. *Gaudentes*, inquit, *in tribulatione, & scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem* Mat. 21. 33. Marc. 12. 1. *non confundit.* Eadem ratione optimus paterfamilias in vineę suæ meditullio, torcular, vt suppellectilem necessariam ad vuas premendas constituit, quo sacramẽto Ecclesiæ suæ pressuras nunquã defuturas, vt sanctis suis necessarias Christus designauit. Idem, Mat. 16. 18. *portas inferi*, hoc est, hæreses, & Id. 24. 24. persecutiones, *Ecclesiam* suã oppu-

gnaturas quidē, ſed *nunquam ſuperaturas*, nec ſubdola Pſeudoprophetarum dogmata, nec ſanguinolenta Pſeudochriſtorum bella electorum fidem ſubuerſura pollicitus, *Oportere, vt hæc omnia fiant*, prænunciat. *Præmiſerat*, inquit Tertullianus, *oportere hæc fieri tam atrocia, tam dira Deus optimus, certè à Prophetis, & à lege prædicata. Vram illos*, ait Dominus, *ſicut vritur argentum, & probabo illos ſicut probatur aurum. Cùm enim*, inquit Tertullianus, *exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Quis eſt enim*, inquit idem, *exitus perſecutionis, quis effectus alius, niſi probatio, & reprobatio fidei, qua ſuos vtique Dominus examinauit? quia cognoſcit, qui ſunt eius, & plantam, quam non plantauit pater, eradicat, & de primis no-*

Id. Ibi. 6.

Adu. Marc. 4. 39.

Zach. 13. 9.

de fug. in perſ. 3.

Ibid. 1.

Id. de præſc. adu. heret 3.

uissimos ostendit, & palam in manu portat, ad purgandam aream suam. Auolent quantum volent, paleæ leuis fidei, quocunque afflatu tentationum, eò purior maßa frumenti in horrea Domini reponetur. Item. *Tempora Christianorum semper, & nunc vel maximè, non auro, sed ferro transiguntur.*

Id. de cult. fœm. 13

Apol. 50. Idem gentes alloquens. *Cruciate,* inquit, *torquete, damnate, atterite nos, probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideò nos hæc pati Deus patitur.* Et paulò post. *Nec quicquam tamen proficit exquisitior, quæque crudelitas vestra. Illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum.*

cap. 5. Idem ad Scapulam. *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur.*

Prodeat iam è cella sua ist-

hæc adultera purpurata, famosa magis quàm formosa, non deuia, non adulterijs duntaxat conspurcata, non modò stupris incestata, sed scortea, & semitaria, *& cuilibet transeunti pedes deuaricare* assueta. Prodeat è Priapi sacello illa Regina prosceda luctus & doloris cuiusuis expers, Cleopatra Regina Ægypti (*quę totus orbis intelligitur, apud Esaiam, superstitionis & maledictionis elogio*) cultu & ornatu luxuriosior. Prodeat Antichristus Sardanapalo Regis Babylonis (*quę apud Joannem Romanę vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ & sanctorum debellatricis*) mollior & effœminatior. Prodeat, inquam, ista meretrix albina, cera sibi vultum fingat, cerussa, & purpurisso pingat, & pane incrustato

Ezech. 16.25.

Apoc. 18.7.

Tert. adu. Iud. 9. & aduer. Mar. 3. 13.

Id ibid

tingat, quo & perſonam, & Deum ſibi cudat. Oculos micantes, inquietos, & prona libidine vdos ſtibio linat, atrum capillitium croco irrufet, aut flauo galericulo abſcõdat. Dentes eburneos pro veris & naturalibus peſtifera fucorũ δυνάμει fuliginatis ſupponat. Ipſi oues tõdeant Mileſij, Seres arbores neant, Tyrij tingant, Phryges inſuant, & Babylonij intexant. *Purpura & cocco amicta* breuiſſimis loculis patrimonium grande proferat. Vno lino centies ſeſtertiûm inſerat, ſaltus & inſulas dealbata ceruice ferat, extentis aurium cutibus Kalendarium expendat, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſingulis ſaccis ludat. Papillis auratis nuda proſtet, *poculum aureum abominationum ſuarum vino plenum* propinet, luxu

Ap. 17. 4.

Ibid.

Babylo-

Babylonio, aulæis Babyloniis, *vocibus citharœdorum, musicorum, tibicinum, ac tubicinum*, & numeris Babylonijs, & tripudiis, & lasciuiis, & blanditiis, & κυσολεσχίαις, & peregrini muris pelliculis, & philtris, & coliphiis, aliísque id genus venenis, & pestibus pudicitiæ, *lumbos circũcinctos veritate* titillare, ac proritare tentet, nósque *iustitiæ thorace indutos* in sui amorem illicere moliatur. An vel valgum sauium libabimus? quin imò *gladium spiritus, qui verbum Dei est*, ex tempore distringamus, faciem creta lubricam perfodiamus, πρόσωπον abcidamus, tectorium igne Sancti Spiritus exuramus, cerussam Solis diuini micantibus radiis liquemus, & *mysterium, quod in fronte scriptum habet*, reuelemus, vt non solùm nos eius

Ib. 18. 22.

Eph. 6. 14.

Ibid. 17

Ap. 17. 5.

deformitatem horreamus, verùm etiam ipsius impostores, hoc est, γυναικιζόμενοι, & fragiles adulteri apertum vultum conspicati, rugarum, vlcerum, & stigmatum, quibus frons tectorio spoliata scatet, terrore attoniti, non modò carnis congressionem, sed etiam basia, & amplexus auersentur. Quid si pellucidum illud speculum, vt in propriam turpitudinem contempletur, præ oculis ipsius posuerimus, operæpretium feciſſe deputabimur? Narciſſum in fonte speciem suam speculatum φιλαυτίᾳ periiſſe in fabulis legimus. Nónne vice versa semitariam publicæ libidinis victimam μισαυτίᾳ saluandam existimabimus, si deformitatem propriam speculata, & turpitudinem agnitam perosa, â fornicatio-

nibus ſuis reſipiſcere, atque ad bonam frugem redire ſit parata? Sed væ *Iezabellæ, quę ſe dicit prophetiſſam, & docet, & ſe ducit ſeruos Dei, vt ſcortentur, & edant ex idolothytis, & dedit ei Deus tempus, vt reſipiſceret à ſcortatione ſua, & non reſipuit:* ſed contrà in libidinem, & idololatriã ind rata eſt, & occîdit Prophetas Dei, hoc eſt, ſanctos, & mundos, qui eius impuros amplexus alatis pedibus fugientes, & Agnum ἀϛνοὶ in quaſcunque terrarum plagas ærumnabili labore ſequentes Satyrici dictum veriſſimum experiuntur,

Ibid. 2. 20. 21.

Ib. 12. 14.

Ib. 14. 4.

——*mulier ſæuiſſima tunc eſt*
Cùm ſtimulos odio pudor admouet. ——

Iuuen. Sat. 10.

Et quod de Troianis cecinit Poëta, ſibi rectiſſimè congruere nimis ſentiũt. —— *quę tantũ accenderit ignẽ*

Virg. 5. Æn.

Causa latet,, duri magno sed amore dolores
Polluto, notúmq; furens quid fœmina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

Quare nouissimorum temporum Iezabellam, pios omnes, & sanctos ferro, & flammis semper persecuram, & Euãgelium, quo velut cõspicilio lucifuga scripturarum, & μύωψ, & νυκτάλωψ turpitudinem suam conspicit, odio plusquam vatiniano prosecuturam, vsque dum verus Iehu, & ipsa veritas Iesus Rex Iudæorum *Iezabellam vultu fucatam, & capite ornatam é fenestra* (de qua velut ex alta specula, vniuersam terram sub pedibus suis cernens, totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regna regnis collisa,

2. Reg. 9. 30. & 33.

alios torqueri, alios necari, alios ad ſeruitutem trahi proſpicit) *in ſtagnum ignis, & ſulphuris* præcipitauerit: Et Ioram, hoc eſt, *filium perditionis ſpiritu oris ſui erogatum illuſtri aduentu ſuo aboleuerit.* Idcircò *aliquam pacem, quandiu fornicationes matris Iezabellæ, & præſtigiæ eius quamplurimę durabunt,* Scriptura ſacra reſiſtente, & tot ſæculorũ retrò experientia reclamante, ſi quis Eccleſię futuram opinaretur, ad agnatos & gentiles deducẽdum aſſeuerare non dubitarem.

Ap. 21 8
2 Reg. 9 24.
2. Theſ. 2. 8.
2. Reg. 9. 22.

Ideò Chriſtus ſe *in terrã immiſſurũ gladium, non pacem,* veniſſe in Euangelio exertè portendit. Ipſe ne fideles improuiſis tumultibus turbentur, & telis non præuiſis magis feriantur, *bella, & rumores bellorum, gentes gentibus, & regna regnis contra-*

Mat 10 34.
Id. 24. 6

ria, fames, mortes, & terræ motus non sine Dei voluntate futuros, suos impressè præmonere dignatur. Esaias, vel ipse per Esaiam Deus
Es. 45.7 concionatur. *Ego sum & qui facio pacem, & condo mala,* (id est, *bellum,* inquit Tertullianus, *quod est contra-*
de fug. in pers. 3. *rium paci. Nostræ autem paci quod est bellum, quàm persecutio?* Et Ioannes de bestia sanctorum debellatrice
Ap. 13. 7. edisserens. *Datum est ei,* inquit, *cum sanctis bellum gerere, illósque vincere.* Idem summam bestiæ potestatem denotans ait. *Quis similis est bestiæ,*
Ib. 4. *quis poterit pugnare cũ ea?* Sed ipse aloës amaritudinem melle dulcorans, & bonorum solatio mala expungens, & fideles ad patientiam cohortans subjicit. *Si quis in captiui-*
Ib. 10. *tatem aget, in captiuitatem abibit, si quis gladio percutiet, gladio morietur.*

Hîc eſt tolerantia, & fides ſanctorum. Idem *omnes, qui adorant beſtiam, & imaginem eius, & accipiunt characterem nominis eius*, ſua ſententia è periculo ab æquo iudice, & iuſto vindice præſcripto recitata, damnat, ſanctos verò, quì tribulationes, & anguſtias patientiſſimè tolerant, abſoluit, & *mortuos, qui Domini cauſa moriuntur, beatos* pronunciat. Ib. 14. 9 & ſeq.

Hæc curſim quaſi de prato pulcherrimo Scripturarum paruos, ſed varietate diſtinctos flores, quos in vnam martyrij Ieſu coronam texuimus, carpſiſſe ſufficiat, vt bella, & tribulationes quaſuis electorum à Deo eſſe, & ad gloriam Dei pertinere manifeſtemus, *& Eccleſiam ſuper petram ædificatam* poſt bella lacrymoſa, & perſecutiones horrendas Babylonis magnę ſemiruta Mat 16. 18.

mœnia funditùs euerſuram, & Antichriſtum, proſtibulum, beſtiam,

Ap. 17. 13. *& reges terræ conſpirantes cum beſtia, & vires ac poteſtatem ſuam ipſi tradentes* ſubiugaturam dilucidis, & ipſa luce clarioribus Scripturarum argumentis demõſtremus. *Hi* enim *cum Agno prœliabũtur, ſed Agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum, & qui cum eo ſunt, vocati, & electi, & fideles.* Ea ratione nauiculã, in qua Chriſtus dormiẽs, cum Apoſtolis cura inani vigilantibus, & formidine ὀλιγοπίστους, *fluctibus opertus eſt, figuram Eccleſiæ præferre*, cum Tertulliano exiſtimo, *quòd in mari, i. ſæculo, fluctibus, i. perſecutionibus, & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente, donec orationibus ſanctorum in vltimis ſuſcitatus compeſcat ſeculum,*

Mat. 8. 24.

de præſcr. 12.

ſæculum, & tranquillitatẽ ſuis reddat. *Deus* enim, inquit ipſe Deus, *non vindicabit electos ſuos vociferantes ad ipſum die, ac nocte, licèt iram cohibeat ſuper ipſis?* Quamobrem *ſerui bonæ frugi ſuccingentes lumbos, i. ab impedimentis lacinioſæ, & implicitæ vitæ expediti, & lucernas ardentes habentes, i. mentes à fide accenſas, & operibus veritatis relucentes,* Dominum redeuntem è nuptijs beati futuri, & menſæ ipſius accubituri operiamur. Luc. 18. 7. Id. 12. 35. Tertul. aduerſ. Marc. 4 29.

Næ prodeat iterum è ſcena meretrix hypocrita, quæ Stenobœæ perſonam induat, nóſque turpitudinem ipſius aſpernatos ad Chimæras debellandas ablêget, cùm ſuperos flectere nequeat, Acheronta moueat, monſtra horrenda, informia, & ingentia *capite leones*, & Ap. 9. 17

cauda dracones referentia, & è faucibus patulis ignem, fumum, & sulphur, quibus tertiam partem hominum mortificent, iaculantia è stagno ignis, & sulphuris suscitet, nónne longè superiores, & victores de ipsis triumphabimus,

Virg. 8. *Si Caci in tenebris incendia vana vomentis,*

Eph. 6. 16. *fidei clypeo protecti, iacula ignea extinguamus*, & alis pernicibus ardentis

2.Reg.2 11. fide spei, ceu *Elias igneo curru*, non equo fabuloso, vt Bellerophon, in cœlum sublimati Deum videbimus. *Beati*, enim, inquit, *qui sunt*

Mat.5.8 *mundi corde, quoniam Deum videbunt.* Quìd si Phœdra luxuriosa, morum nostrorum probitatem, vitęque integritatem perosa, ex abominationũ Oceano, ex abyssi puteo (φρατρίας Iesuitarum, aliarúmque id genus,

qualisqualis ſuperſtitionis ſint Monachorum, περὶ τὸ φρέαρ dictas, quòd ex eodem puteo prodierint, cenſeo, ſicut conuentus ethnicorum propria ſibi ſacra peculiariáque communiter habentium, φρεατίας appellatos περὶ τὸ φρέαρ, quòd eodem puteo vterentur, Budæus annotauit) monſtra, & locuſtas ſcorpionibus nocentiores per totam terram diffundat, vt nos aut occîdat, aut vulneret, nónne verus Æſculapius fauciatos ſanabit, mortuóſque viuificabit Hippolyto ſanctiores? *Ego*, inquit, *percutiam, & ſanabo, ego viuicabo, & mortificabo.* Nónne Rex regum aduerſus efferatorum monſtrorum atrocitatem benignitate ſua intercedens, homines qui beſtię characterem in fronte non habent, per quinque

Bud. in annot. in pandec. ad titu. de offic. Queſt. Ap. 9. 3.

Deut. 32. 39.

Ap. 9. 5.

menſes tormentis, & plagis laceſſere, non morte afficere, ſuo reſcripto regi Abaddon permiſit?

Geneſ. 39.12. Quid ſi Ægyptia mulier expapillata de adulterio inſtantiùs nos appellet, ſi & ſermone impudico, & tactu laſciuo clauſtra pudicitiæ tentet, pallium derelinquamus.

Ibid.20 Quòd ſi pudore ſuffuſo indignata, expoſtulationibus ſuis, & falſis inſcriptionibus delatos, eo indicio manifeſtos criminis, & cothurnati flagitij compertos, & lege Iulia iudicandos, & damnandos publicę cuſtodiæ mandet, fortiſſimè ſuſtineamus.

Plin. ſecun. de viris illuſtr. Valer. max. li. 6.c 9. Seruium Tullium è ſerua natum ad regnum Romanorũ peruenisſe, & Ventidiũ, qui antè captiuus carcerem exhorruerat, victorem de Parthis triumphaſſe, & Capito-

lium fœlicitate celebrâſſe, fatis omnia reputantes ethnici prodiderunt, vnde Poëta

Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphum. Iuuen. Sat 7.

Sed Ioſeph ſeruum à fratribus pretio mancipatum, & libidinoſæ mulieris calumnia incarceratum, poſtea primicerium Ægyptiorum ſecundum regem, & regi poteſtate æqualem diuina prouidentia factũ, in pudicitiæ morúmque integritatis præmium ſacrę paginę teſtantur. Nos pallijs exutos, hoc eſt, omnibus bonis temporalibus ſpoliatos, & vulcanijs catenis vinctos, in carceres ſubterraneos, Solíſque radijs inacceſſos detrudat purpurata meretrix: an ipſius obſcœnæ libidini timidiculè obtemperantes, tenebras, *lux mundi*, & captiuitatem, Gen. 37 28. Ibid. 41 40. Mat. 5. 14.

& seruitutem, libertate à Deo liberaliter donati, & manumissi expauescemus? An μεγαλοψυχία & fortitudine animi Ethnicorum suggillati erubescemus, si Philoxenus, vt cæteros fileam, ad latumias mitti, quàm Dionysij tyranni poëma incondîtum, & malè natum renitente conscientia laudare, maluerit? An vanus timor pudorem nostrũ superabit? Nónne potiùs patris nostri promissis, & fratris verbis, omni nexu, & verborum obligatione firmioribus, qui seruos, & captiuos nõ modò soluturum policitus est, verùm etiam *reges super terram regnaturos* effecturum, *timidis*, ceu vulgò quæsitis, ab hæreditate regni cœlorum, mystico testamento nominatim exclusis, constantissimè stabimus?

Plut. li. 2. de fortuna Alex.

Ioan. 8. 32.

Ap. 5. 10

Ib. 21. 8.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis,
Aut metus æterno prohibet contingere regno? Virg. 6. æn.

Quis nos superabit à dilectione Dei? tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? An concupiscentię sæculi, vitæque momentaneæ desiderium, à tanti, & æterni regni regia via seducet? His delicijs Paulus, & Barnabas discipulorum varijs afflictionibus confectorum animos reficiebant, & recreabant, vt perseuerarent in fide adhortantes, & pressuras multas, vias, & gradus, quibus ad cœlum, & solium ascendendum est, docentes. *Qui ablactati estis à lacte*, inquit Hieronymus ex Esaia, *qui auulsi ab vbere, tribulationem, super tribulationem expectate,* Rom. 8. 34. Act. 14. 21. ad Demet. de virg. seru.

ſpem, ſuper ſpem. Vnde illud Tragici, apud Plutarchum, fidelibus rectè conuenire puto.

Plut. de audit. Poët.

——— ἡ βεβαίων τ' εὐπραξία,
Τῶν τὰ ἐλάχιστα γίνεται λυπουμένων.

Sed rectiùs illud Senecæ,

——— *finis alterius mali*
Gradus eſt futuri. ———

Ioann. 18. 36. Ea de cauſa Chriſtus *regnum ſuum ex hoc mundo* quibusquibus malis conſito non eſſe ſacro ore profitetur. Eadem ratione Paulus Phil. 1. 23. 2. Cor. 5. 8. θεοδίδακτος tot malis, & laboribus defungi, *diſſolui, & eſſe cum Chriſto concupiſcebat*, & quaſi crucis candidatum, & aræ Chriſti deſtinatum 2. Tim. 4. 6. *breui mactatum iri, & coronam gloriæ à iuſto iudice accepturum*, teſtabatur. Eadémque cauſa ipſi legiſlatori, & iudici placuit *Martyras, qui ſanguine ſuo veſtem* λόγου θεοῦ *purpurauerint*, Ap. 20. 4.

cum

cum Christo reges regnaturos, & sæculum iudicaturos prę iudicare.

An atroci grassantis bestię ferocia? an grauissimis persecutionibus Antichristi ab angusto tanti regni calle vel transuersum pedẽ abscedentes, ad tritum Babylonię captiuitatis tramitem deflectemus? Nõ ita. Exurgeret enim profectò, & decerneret aduersùs nos Marciõ maiorum gentium hęreticus, qui *oblata acerra animam negatione lucrari*, aduersarijs quoque testibus, nefas esse duxit. Sed quid hæreticum illaudatum nec nominandum memoro? Exurgerent Ethnici, & nobiscum lege ageret Anaxarchus, *qui cùm in exitum ptissanæ pilo à tyrãno contunderetur, tunde, tunde*, dixit, *Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis*. Cùm Dominum audia-

Tertul. aduers. ma. l. 27

Id. in Apol. 50.

mus diuinis vocibus in Euangelio contonantem. *Ne timeatis ab ijs, qui* Mat.10. 28. *trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare, sed timete potiùs eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehenna.* Nobiscum experiretur Iuuenalis Poëta, qui pudorẽ & honestatem, animæ, seu vitæ, & quibuscunque tormentis præponendã scripsit hisce carminibus.

——Phalaris licèt imperet, vt sis
Iuuen. Sat. 8. *Falsus, & admoto dictet periuria tauro:*
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam, viuẽdi perdere causas.

Cùm Iesus in Euangelio personet. *Quisquis voluerit animam suam* Mat. 16. 25. *seruare, perdet eam, quisquis autem animam perdiderit mea causa, inueniet eam.* Nos obtorto collo in ius traheret meretrix Athenienſis, *quæ car-*

nifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in faciem tyranni sæuiē-tis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, vt nihil agere se scirent tormenta, etsi vltra perseuerarent: Cùm Christus sæpiùs vociferetur. *Qui me negauerit coram hominibus, ego negabo eum coram patre meo. Sed* contrà, *qui perseuerauerit vsque in finem, saluabitur*, hoc est, qui mei causa tribulationes innumeras, & tormenta passus non defecerit, sed finem, & mortem sustinuerit, quibuscunque malis & afflictionibus defunctus, saluus erit. *Non enim moritur* (ait Hieronymus) *qui victurus occiditur.* Vnde ipse alibi Apostolos per tolerantiam animas suas possessuros præmonet, *per tolerantiam*, inquit (vt Tertullianus hunc Lucę locum reddit) *saluos fa-*

Tert. in Apol. 50 & in exh. ad mart. 4.

Mat. 10. 33.

Mat. 10. 22.

De mu-lie. sept ict.

Luc. 21. 19.

Aduer. Marc. 4 39.

Heb.13. 5. *cietis vosmet ipsos.* Idem Dominus nunquam nos omissurum, nec deserturum pollicitus, confidenti animo clamare indicit. *Dominus mihi*
Ps.118.6 *adiutor, & non timebo, quid faciat mihi homo. Multæ enim pressuræ iustorum,*
Tertul. aduer. Marc.2. 19. *& ex omnibus liberabit eos Dominus. Honorabilis mors in conspectu Domini sanctorum eius (ex tolerantia sine dubio,* ait Tertullianus, *quia & Zacha-*
Id. ibid 4.39. *rias, corona autem erit eis, qui tolerauerint.) Dominus custodit omnia ossa iustorum, & unum ex ipsis non comminuetur. Redimet Dominus animas seruorum suorum.*

Hoc (ne à Scripturarum scammate licentiùs excurramus) trium fratrum sacramento intelligimus, quos in fornacem ardentem conie-
Dan. 3. 23. ctos diuinitùs sartos & tectos conseruatos legimus, quòd regis Na-

bucadnesar imaginis *honorem constantissimè respuissent, probantes* (vt ait Tertullianus) *idololatriam esse, quicquid vltra humani honoris modum ad instar diuinæ sublimitatis extollitur.* Sic & Daniel, ne idololatria incestaretur, *non magis leones regios timuit, quàm illi regios ignes.* de idol. 19. Dan. 6. 22.

An igitur periculi? an gladij terrore consternabimur, qui *militiam super terram, vitam humanam esse* à sancto spiritu omnis veritatis magistro docti sumus? Nónne potiùs imitatores Apostoli, sicut & ipse Christi sectator fuit, non discipuli supra magistrum, inenarrabilem ærumnabilium periculorum Odysseiam, & infandam grauissimorum laborum Iliadem, quos ipse in posteriore ad Corinthios specialiter enumerat, fortissimè super- Iob 7.1 1. Cor. 11.1. Ioan. 13. 16. 2. Cor. 11.23.

abimus? *Ad hoc enim* (inquit Hieronymus) *laboramus, & in sæculi huius periclitamur militia, vt in futuro sæculo coronemur.* Nónne & nos *regnum cælorum vim pati, & violentos illud rapere,* non ab Academijs, nec porticibus Atticis, nec carceribus Socratis, nec eloquio Platonis, nec minutiloquio Aristotelis, sed ab ipsa veritate didicimus? Ideò idem Hieronymus elegantissimè ait. *Nihil Christiano fælicius, cui promittitur regnum cælorum. Nihil laboriosius, qui quotidiè de vita periclitatur. Nihil fortius, qui vincit Diabolum. Nihil imbecillius, qui à carne superatur.* Ibi regni cœlorum promissioni periculum vitæ subtexit, & in hac periculosa, & laborioſa militia sanctos Satanam debellaturos: psychicos verò, *quorum venter Deus est* (id enim

ad Demet. de virg. seru.

Mat. 11. 12.

ad Rust. mon.

Phil. 3. 19.

colit vnuſquiſque, quod diligit) à carne, cuius *ſapientia ſimultas eſt aduersùs Deum*, ſuperatum iri expreſsè demonſtrat. Rom. 8. 7.

An famis? an nuditatis horrore concuſſi deficiemus, qui Dominum agnoſcimus omnium bonorũ Dominum, & prudentem diſpenſatorem, & fidelem οἰκουμβυίας οἰκονόμων, *omnium hominum* σωτῆρα, *& præcipuè fidelium, qui pluit ſuper bonos, & malos, qui oriri facit ſolem ſuum ſuper iuſtos, & iniuſtos*, ſuſtinens, & alens, & iuuans etiam Papiſtas, ipſóſque Ieſuitas, qui etiam de cœlo panem Angelorum quotidianum populo ſuo præſtitit, *Cuius corui, nec ſerunt, nec metunt, nec in apothecas condunt, & tamen aluntur ab ipſo. Cuius lilia, & fœnum non texunt, nec nent, & tamen veſtiuntur ab ipſo. Cuius, & Sa-* 1. Tim. 4. 10. Mat. 5. 45. Pſal 78. 24. Luc. 12. 24. & ſe.

lomon glorioſiſſimus, nec vllo tamen floſculo cultior; qui ne ſolliciti ſimus de
Mat. 6. 25. *vita noſtra, quid comedamus, & quid bibamus* ſæpiùs edixit, & *qui animam alimento præſtantiorem, & corpus indumento* carius iudicans, delicias ſuas
Marc. 6. 8. Apoſtolos, nec peram, nec victui, aut veſtitui quicquam in viam ferre præſcripſit?

1. Tim. 6 8. Ad quæ reſpiciens Apoſtolus, *Habentes*, inquit, *victum & veſtitum his contenti ſumus. Cogitatio* enim
Ad Euſtoc. de cuſt. virg. *victus*, ait Hieronymus, *ſpinæ ſunt fidei.* Quamobrem Eſaias de gentibus, quos Dominus allecturus erat à ſummo terræ prophetans præcinit. *Venient velociter* (ſæcularibus vtique curis, ceu currus ſufflaminibus liberi) *leuiter aduenient* (opibus
Eſ. 5. 26. inſuper habitis exonerati) *nemo eorum fatigabitur* (labore ſcilicet, & fame.)

fame.) Item, *Ecce qui seruiunt mihi edent, & bibent.* Idem de iusto loquens, *panis*, inquit, *eius, ei dabitur, & aquæ non deficient ei. Iuuenis fui*, ait Dauid, *& iam consenui, sed nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius mendicans panem.* Et bellè vir ardentissimæ fidei Tertullianus. *Nemo*, inquit, *eorum quos Dominus allegit, non habeo, dixit, quo viuam. Fides famē non timet. Scit etiam famem non minùs sibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quantò magis victum?* Esa. 65. 13. Id. 33. 16. Psal. 37 25. de idol. 12.

Quid ergo? Si nec philtris fucatæ meretricis fuerimus incensi, nec exactiore crudelitate pertracti, nec amore, nec timore ducti: an πλεονεξίας, aut φιλοπμίας magis, quàm Veneris adulteræ, aut mœchi Martis sa-

gittis ſauciati, πορνομανεῖς, & in fœdam libidinem ebullientes, cum ſcorto

Eccleſ. 26.15. ſcorteo *aduersùs omnem palum ſedente, & ad omne telum aperiente pharetram*, volutabimur? Nobiſcum certè lege ageret Diogenes Cynicus,

Plut. in Alex. qui Alexandrũ totius orbis domitorem, & dominatorem, luminibus dolij, quod gurguſtij vicem ei prębuiſſe dicitur, obſtruentem, ipſique omnia, εἴ τινὸς τυγχάνει, liberaliter offerentem, repuliſſe fertur dicens, Μικρὸν ἀπὸ ἡλίου μετάστηθι.

2. Cor. 4.4. Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, hoc eſt, *Deus in terris*, priuſquã nos in templa ido-

Iud. 16. 21. lorum perituros trahat, vt *Samſonem excæcare* nitatur, *ne irradiet nos*

Mat. 4. 8. *illuſtratio Euangelij gloriæ Chriſti, omnia regna mundi, & gloriam, & fulgorem eorum*, quibus mentis noſtræ oculos perſtingere tentet, in εἰδωλολα-

τρείας, aut διαβολολατρείας mercedem, nobis ad honorum ſublimiorum culmina elatis repræſentet. Ipſius denique mœcha *dominatrix regum terræ*, donatione inter viuos nullo pacto reuocanda, diuitias ſuas omnes (quarum redundantia exercitores, & magiſtri, & inſtitores nauium diuites, & *mercatores eius opimates terræ facti ſunt*) in nos tranſcribat. Addat & montes aureos, & carbunculos, & ſmaragdos, & margaritas candentes, & (vt ait Poëta de adultera erga mœchos ſuos mirum in modum profuſa)

Ap 17. 18.

Ib. 18. 19. & 23

——— *Exuat omnem*
Corporis ornatum. ———

Iuuen. Sat. 10.

An ea friuola, eam ſæcularem gloriam, & δόξαν, eas diuitias fugientes, eas vitreas margaritas ἐφημερείους, & propè diem perituras, quæ ab ho-

minum opinione duntaxat, non à natura, & veritate censentur, illi vero, solido, æterno, & sine pretio
Mat.13. 46. pretioso margarito, quod venditis omnibus vir prudens comparare habet, præponendas putabimus?
Marc.8. 36. An totius mundi compendio animæ nostrę dispendium compensabimus? an thesauri terrestris tineis,
Mat. 6. 20. ærugini, & furibus expositi cupiditate, pudorem,

Virg.4. æn. ——— *& qua sola sidera adimus,*

famam priorē extinguemus? Auscultemus potiùs Hieronymo dicenti. *Si libido non stimulat, quæ tanta insania est in morem scortorum prostituere castitatem, vt augeantur diuitiæ, & propter rem vilem, atque perituram, pudicitia, quæ & æterna, & pretiosa est, polluatur?*

ad Fur. de vid. ser.

Luc.16. 9. Christus *mammona ἀδικίας*, hoc est,

diuitias omnis iniquitatis auctrices, & totius ſæculi dominatrices appellat. *Radix enim omnium malorum eſt auaritia*, ideóque *idololatria (in qua omnia delicta deprehenduntur)* cognominatur. Eâdem ratione Petrus neminem *duobus dominis, Deo* videlicet, *& mammonæ ſeruire poſſe*, à Chriſto impensè doctus, & in dicta, & facta vnius magiſtri iurans, *nec aurum, nec argentum habere* gloriosè profitetur. Ex Ethnicis Lacones edicto publico non collegiſſe pecunias, & ſi qui collegiſſent, capitis damnatos, author eſt Plutarchus.

1. Tim. 6. 10.
Col. 3. 5
Tert. de idol. 1.
Luc. 16. 13.
Act. 3. 6
Plut. in inſtitu. Lacon.

An nobis, qui Diabolo, & pompæ, & Angelis eius renunciaſſe profitemur, contemptu diuitiarum Lacedamonij antiſtare cluebunt? an philoſophi? Equibus vnus, vt

Hieron. ad Paul. de inst. Mon. alios præteram, multarum possessionum pretium abiecit, nec putauit se simul posse, & virtutes, & diuitias possidere. Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam in suggillationem nostram deposuerit? Nos *Domini dominorum, & Regis regum* testamento sanguine proprio, & martyrum, assiduorúmque testium, obsignato, æterni regni hæredes instituti, possessiones nostras ab Apollyonte violenta irruptione inuadi, mobilia disperdi, αὐτοκίνητα abigi, superficies subuerti, & prodiga prodigi animo iniquo sustinebimus? An ἀποκαταστάσεως, & in integri restitutionis cupidine, cum eo interdicto contẽdentes, ipsúmque ex iure manu consertum vocantes, precibus principi huius sę-

Ap. 19. 16.

culi oblatis, & idolorum genibus inceratis aduoluti, momenti beneficium postulabimus? *Melius est* (ait Hieronymus) *rem familiarem minui, quàm salutem animæ perire, Melius est amittere, quod velimus, nolimus, aliquando periturum est. Melius est sponte dimittere, quàm id amittere, pro quo omnia dimittenda sunt.* Ergò. ad Geront. de monog.

Si fractus illabatur orbis
Impauidos feriant ruinæ. Hor. 1. Car.

Tribulationis, angustiæ, persecutionis, famis, nuditatis, periculi, gladij, aliarúmque tentationum arietes, quibus Satanas, Antichristus, adultera, omnésque ipsius admissarij, operibus suis, & meritis meretricis meritoria merentes, & Satanæ stipendijs auctoritati, sanctorum fidem inexpugnabilem labefactare, ac conuellere ἐπισπουδασμένως

moliuntur, æneo scripturarum muro retundamus. *Ama scientiam scripturarum*, inquit Hietonymus, *& vitia carnis non amabis.* Dauidicis canticis à sæcularibus curis auocemur, in Prouerbijs Salomonis eruditamur ad vitam. In Ecclesiaste, quæ mundi sunt calcare consuescamus. In Iob virtutis, & patientię exempla sectemur. Vt enim clauus clauum, sic amor amorem trudit: quia, vt ait, idem Hieronymus, *difficile est humanam animam aliquid non amare, & necesse est, vt in quoscunque mens nostra trahatur affectus. Carnis amor spiritus amore superatur. Desiderium desiderio restinguitur, quicquid inde minuitur, hinc crescit.* Trudamus igitur amorem carnis, amore spiritus, amorem sæculi, amore cœli, amorem mammonæ, amore

adRust. Mon. de viu. form.

Id. ad Læt. de inst. fil.

adEust. de cust. virg.

amore Dei, amorem ventris, amore crucis, qua cruces, hoc est, omnes tribulationes, sicut Papistæ crucium signis calamitates, & pestes quasuis auerruncare constanti fide credunt, diuertemus. Olim sentimus indignatum, nec propitiamur Deum, nostris peccatis Antichristiani fortes sunt: nostris scandalis triumphales Euangelij Christi rotæ sufflaminatæ sunt: nostris vitijs vrbes nostrę captæ sunt, & quasi non hæc sufficerent cladibus, plus ὀικειῶν fidei auaritia, vt pestilenti quodam sidere afflatorum mala fides, & proditio, quàm hostilis mucro consumpsit. Id certè præsciuerat Christus, *& alium proditurum alterum, & domesticos nobis hostes* futuros in Euangelio exertè præcinerat. Apo-

Mat. 24. 10. Id. 10. 36.

Gal. 2.4 ſtolus *ſuperinductitios falſos fratres, in Eccleſiam, ad ſpeculandam libertatem, quam habet in Chriſto, vt eam ſeruituti ſubigerent, ſubintrâſſe* memorat. Tertullianus familiam Dei
In Apol. à familiaribus, & domeſticis fidei ſæpenumerò ſua tempeſtate proditam conqueritur. Et Hieronymus proditores huiuſcemodi, timidos, & non plenæ fidei Chriſtianos ad idololatras ablêgat. *Si*
ad Hel. de vit. erem. *credunt*, inquit, *in Chriſtum, faueant mihi pro Chriſto pugnaturo, ſi non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Sed nos eo benigniores, non eorũ mortem, ſed vitam, & reſipiſcentiam, & illum patris noſtri regni aduentum, & illam Eccleſiæ pa-
Tertul. aduerſ. Marc. 2. 24. cem, omni melle, & dulcedine dulciorem, vera μετανόια (*cuius nomen non ex delicti confeſſione, ſed ex animi*

demutatione compositum est) lugubri habitu, & illuuie deformi sordidati, diebus, & noctibus insistentes ieiunijs, & orationibus, quæ cœlum claudere, & recludere posse testatur Iacobus, à *Deo pacis sub pedibus nostris Satanam breui contriturο*, & Antichristum confectum abolituro, flagitemus. *Patientia Dei*, ait Tertullianus, *expectat potiùs pœnitentiam peccatoris, quàm mortem, & mauult misericordiam, quàm sacrificium, auertens iam destinatum exitium Niniuitis, & largiens spatium vitæ Ezechiæ lacrymis, & restituens statum regni Babylonis tyranno pœnitentiam functo. Nec enim arundinem contusam, hoc est, quassam fidem comminuit, nec linum ardens, hoc est, momentaneum ardorem extinguit. Miseri, Israelitæ*, inquit Hieronymus,

Iac. 5. 17.

Rom. 16.20.

2. Thess. 2.8.

Aduer. Marc. 2. 17.

Id. lib. 3. 17.

Ad Heliod. epit. Nepot. *ad quorum comparationem Nabuchodonosor seruus dicitur. Infœlices nos, qui tantùm displicemus Deo, vt per rabiem hostium,* & nostrorum, (superficie vtiq; & κατὰ τὸ δοκεῖν) πλεονεξίαν *illius in nos ira desæuiat. Ezechias agit pœnitentiam, & centum octuaginta quinque millia Assyriorum ab vno Angelo, vna nocte deleta sunt, Iosaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudate superabat. Amalec non gladio, sed oratione pugnauit. Si erigi volumus, prosternamur. Proh nefas orbis terrarum* machinis Iesuitarum *ruit, in nobis peccata non ruunt.* In cineres, ac fauillas sacræ quondam Ecclesiæ conciderunt, & tamen studemus auaritiæ. Ita vt, quod de Megarensibus Diogenes, iure miseris coaptari debeat. *Obsonant, quasi crastina die mo-*

Tertul. Apol. 39.

rituri, ædificant, quasi nunquam morituri. Et non audimus Prophetarum voces? Fugient mille vno persequente: nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur, statímque *concidentes machæras nostras in aratra, & sibynas* nostras *in falces*, videamus Antichristum, Scortum, & reges terræ Agno victori cedere. Hier. ad Hel. epit. Nep Es. 2. 4.

Quòd si Reginæ κεκονιαμένης regnũ, scandalis, & peccatis nostris longiùs, & latiùs proferatur. Si & tempus, & fines imperij eius auaritia, & mollitia domesticorum fidei propagentur. Si homo peccati ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν fronte adducta elatus, vt Achilles Homericus, 2 Thes. 2. 4.

——— ἐθέλει δὲ πάντων ἔμμεναι ἄλλων
Πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν,
Πᾶσι δ' ὑπαίνυσθαι. ——— ——— Hom. Iliad. α.

Si vt idẽ Achilles, apud Horatiũ,

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Si rubore vultus abstrito parasitos vincens mimorũ, ἀρχὴν τῶν ἁπασῶν ἀρχῶν, & *principium* omnium principatuum, scortationis eius vino inebriatis principibus, & sublata fidelium maiestatis regum sacrosanctæ assertorum intercessione, sese venditet. Si se *omnes iudicaturum à nemine iudicandum*, submouente nos eius insolentiæ reclamitantes lictore, glorietur. Si eo nomine apud Æacos, & inferiores iudices, qui litem suam faciant, de bonis temporalibus, summo iure, id est, summa iniuria nos conueniat, vadimonium deseramus. Si tunicam cauillis suis, & præstigijs, quibus Solis, & Iustitiæ oculos frustretur, nobis harpaget, dimit-

Bonif. 8. extr. vnam sanctã.

Id. ib. & can. si Papa dist. 40.

Mat. 5. 39. 40. & 41.

tamus & pallium. Si dexteram maxillam verberet, obuertamus & siniſtram, ſi perſecutionibus ſuis domibus noſtris profugos ad vnum milliare angariet, eamus & duo. Si nos cedere patria, ſolúmque vertere, exiliúmque voluntarium pati, preſſuris ſuis cogat, in vltimas terras deportari nos patiamur. Si nos perſequatur in aliqua vrbe, fugiamus in aliã, vt φαρμακείαν, qua fortilega Circe in porcos nos reformare intendit, moly virtute, hoc eſt, carnis & ſæculi contemptu reſpuamus. Id. 10. 23.

Quòd ſi ſanguine ſanctorum, & martyrum Ieſu inebriata, & purpurata crudeliſſimæ lanienæ operetur, ſi liuidas carnes vngula cruenta pulſet, ſi ſulcatis lateribus ferreos lumbos ad delicias e- Ap. 17. 6.

mollire moliatur, si ferularum, flagellorum, & scuticarum contumeliosa atrocitate apprehensorum scapulas lacerantibus

Iuuen. Sat. 6. ——— *tortoribus annua præstet.*

Neminem Christianum, nisi, *qui* Mat. 10. 22. *in finem vsque perseuerauerit*, firmissimè credentes, Lacedæmoniorum διαμαστίγωσιν imitemur. *In quo sacro ante aram nobiles, quique adolescentes* (quos *primos incipientes*

Plut. in Lycu. *Edere vagitus, & adhuc à matre rubentes*

aquis gelidis duratos, & oleo commasculatos legimus) *flagellis affligebantur astantibus parentibus, &*

Tertul. exhort. ad Mar. 4. *propinquis, & vti perseuerarent adhortantibus. Ornamentum enim* (inquit Tertullianus) *& gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potiùs cesserit plagis, quàm corpus.*

Quid

Quid in condénationem timidorum memoré Lucretiam, Cleopatram, Attilium, Mutium, Decios, Catonem, Brutum, Empedoclem, Heraclitum, alióſque innumeros ſæcularis laudis magis, quàm vitæ libidinoſos, quorum ſingulari patientia, ignis, gladij, & beſtiarum contemptu, & tormentorum compoſito vultu perpeſſorum tolerantia, aliiſque ſplendidis peccatis, tanquam ſtellis micantibus Græcę, & Latinę hiſtoriæ corruſcant?

Nos diuini fontis aquis viuis tincti, & oleo ſancti Spiritus inuncti, bonæ cauſę conſcientia, & ſpe futurorum prędmiorum, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, ridentes, tormenta pro delicijs, & mortem 1. Cor. 2. 9.

pro ludo habeamus. Si enim tantum terrenę glorię licet de corporis & animi vigore, vt quodcunq; mortis genus, & crucium flocci-pendant sub præmio laudis humanę. Nónne possumus dicere? Rom. 8. 18. *Non sunt dignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Si tanti vitreum, & vilissimum, quanti verum, & pretiosissimum margaritum? *Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?* Tertul. exh. ad Mart. 4. Tantum non faciet fides, quãtum fecit infidelitas? Nec exhibebit veritas Deo, quod mendacium Diabolo tribuit? Vnde cum Apostolo glorioßissimè profiteamur, Rom 8. 37. *Certi sumus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia,*

neque futura, neque excelsum, neque profundum, neque alia creatura, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, qui nobis, confidenti animo dicere, conceptis verbis præscribit. ΚΥΡΙΟΣ ΕΜΟΙ ΒΟΗΘΟΣ, καὶ οὐ φοβηθήσομαι τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος. AMEN. Heb. 13. 6.

6 MA 50

In delineationem cugraphicam Ecclesiæ Romanæ ab Authore anonymo.

PAnditur eximius sub lustri ab imaginis vmbrâ
Pictor, & in tabulâ pingitur, arte, suâ:
Nomen opus non ergo illi subduxit: Apellem
Zeuxidi dat doctâ linea ducta manu.

περὶ αὐτοῦ.

Τίς ὁ γεγραὼς νέος, ὃς σιγᾷει, μόνον εἴδος ἄϊσγε:
Δώσει Ἀπελλαῖον Ζεύξιδι γεάμμε, τέλος.

I. A. S. SS. Th. S. R.

εἰς αὐτόν.

Πλήθοισ' ὅτιν Σελάεσα
Γαῖαν μάλα καταλάμπει,
Ἄλλ ἀστέρες φαεινὸν
Κρύπτουσιν εἶδος ἄλλοι:
Ὅτε σεῦ Μῶσα τέθηλε,
Κρύπτουσιν εἶδος ἄλλαι:

P. M. G.